

INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (41)

4.12.2.5. De Benedictinorum re scholari in Corea


Cum Ottiliani in Coream vocarentur, ut ibidem munus quoddam missionarium suscipere, agebatur imprimis et speciatim de scholis condendis et de institutionibus varii generis exhibendis.¹ Spectamus ergo, quid hac in re factum sit et quomodo Benedictini in quaestione scholari progressi sint.

Initia scholarum Benedictinarum in Coreā, id est primo in urbe Seulo, non tam facilia erant quam secundum proposita generalia expectatum erat. Nam unā ex parte Benedictini ex causis politicis non omnia genera institutorum, quae in animo habebant, fundare valuerunt, velut scholas superiores gymnasiae, alterā ex parte res etiam dependebat ab loco atque ab aedificiis novis erigendis. Denique primis annis solum duo genera scholarum restabant, nempe schola opificum atque institutum magistrorum erudiendorum.

Inter primos domos, quae in Benedictinorum area Seulensi erigebantur, erat parva opificina lignaria. Eadem primum initium atque nucleus futurae scholae opificum dici potest, cum iam quidam Coreani Christiani ad artem lignariam addiscendam illuc acciebantur. Tota autem res ampliorem scopum habuit. Nam huiusmodi schola ex causis socialibus videbatur omnimodo necessaria. Multorum enim Coreanorum status socialis condicionibus politicis mutatis pessumdabatur, ita ut in paupertatem redacti essent. Imprimis vero Christiani variis ex causis tali mutatione tacti erant, sed etiam reliquis Coreanis non erat sors multo alia. Itaque finis scholae opificum atque eruditionis in aliquo opificio erat in eo, ut discipuli profundam scientiam sibi acquirerent atque usque ad magisterium opificii pervenirent. Hunc in modum deinde pedibus propriis stantes vitam suam bene sustentare potuerunt. Alterā ex parte tales opifices bene eruditi insuper bonum effectum in reliquos cives exserituri erant, etiam quod attinebat ad fidem Christianam divulgandam.²


1 De initio missionis Coreanae eiusque primo progressū *cfr* supra cap. 4.6.

2 *Cfr* Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht über die Gründung und erste Entwicklung der deutschen Benediktinerniederlassung in Korea (s.a.), pp. 12 sq. (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien) [haec relatio versimiliter anno 1912 erat conscripta]; Bonifaz SAUER: Die Handwerkerschule von St. Benedikt in Korea. In: Missionsblätter 18, 1913/14, pp. 33 sq.; Norbert WEBER: Menschenorge für Gottesreich. Freiburg 1913, pp. 151 sqq.; Bonifaz SAUER: Korea. In: Missionsblätter 17, 1912/13, pp. 254 sq., qui alium quoque scopum indicavit, nempe ut tali scholā etiam futuri Fratres conversi indigne accirentur.



Seulensis opificina lignaria.
[ASO, Archivum imaginum.]

Ipsae opificinae iam initio bene progrediebantur, cum Coreanorum ibīdem instrui atque operari interesset et non solum non Christiani, sed etiam non-



Seulensis opificina ferraria.
[ASO, Archivum imaginum.]

Christiani venirent.³ Scopum huius incepti Coreani bene intellexisse videntur atque effectum praevisum reddiderunt suum. Itaque satis celeriter prima opificina lignaria nimis parva erat, ita ut loco illius domus novum aedificium maius erat exstruendum. In domo vetere deinde opificina ferraria instruebatur. Hunc in modum numerus opificum docendorum iam paulo extendi potuit. Opificinae autem lignariae praeerat Fr. Ildefonsus Flötzinger,⁴ opificinam ferrariam primo Fr. Hilarius Hoiß⁵ duxit, quem anno 1913^o secutus est Fr. Germanus Hartmann.⁶



Fr. Hilarius Hoiß.
[ASO, Archivum imaginum.]

Etiamsi opificinae hac in re erant maximi momenti, tamen ipsa schola opificum non immediate aperiebatur. Haec brevis retardatio cohaerebat unā ex parte cum aptis oecis deficientibus, alterā ex parte cum magistrorum, id est monachorum, scientiā linguae Coreanae, quam iidem primo magis addiscere debuerunt. Itaque demum Kal. Iun. a. 1912^o institutio in hac scholā officialiter incohata

-
- 3 Iam in fine anni 1911ⁱ copia illorum, qui recipi desideraverunt, tam magna erat, ut Bonifatius Sauer propter habitandi condiciones non sufficientes praeter unum candidatum omnibus aliis renuntiare coactus esset. - *Cfr* Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 20 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien).
 - 4 Fr. Ildefonsus Flötzinger natus est die 20 m. Iul 1878 in loco Deiding in archidioecesi Monacensi sito. Vota sua protulit die 10 m. Oct. a. 1909 in Abbatia Ottiliensi et die 7 m. Nov. a. 1909 in Coream emissus est. Vitā functus est die 20 m. Mart. a. 1952 in Coreae Septentrionalis carcere communistico. (Necrologium 2015, nr 0513, p. 57.)
 - 5 Fr. Hilarius Hoiß natus die 27 m. Iun. a. 1888 in vico Unterau in archidioecesi Monacensi sito vota sua protulit die 15 m. Aug. 1910 in Abbatia Ottiliensi. Idem die 7 m. Ian. 1911 in Coream emissus est, ubi die 13 m. Dec. a. 1950 in carcere communistico Coreae Septentrionalis obiit. (Necrologium 2015, nr 0501, p. 56.)
 - 6 Fr. Germanus Hartmann natus die 7 m. Maii a. 1883 in oppido Gmünden in dioecesi Herbiopolensi sito vota sua die 21 m. Oct. a. 1906 in Abbatia Ottiliensi protulit et die 3 m. Maii a. 1914 in Coream emissus est. Vitā functus est die 4 m. Ian. a. 1931 in Coreano oppido Wonsan. (Necrologium 2015, nr 0169, p. 26.)



Aedificium Seulensis scholae opificum.
[ASO, Archivum imaginum.]

est.⁷ Praefectus scholae opificum redditus est P. Callistus Hiemer.⁸ Institutiones praeterea sustentabantur ab Coreano catholico, qui in Iaponia scholam negotiationis frequentaverat.⁹

Institutio in schola opificum bipartita erat, id est in partem practicam, quae erat maioris momenti, et in partem theoreticam.¹⁰ Opificium addiscebatur


7 Cfr Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 16 (ASO, Z.Chronikbriefe 6. Asien). - Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht der Abtei St. Benedikt in Seoul, ihrer Verlegung nach Tokwon und Tätigkeit der Benediktiner im Apost. Vikariat Wonsan. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab. Münsterschwarzach 1973, p. 83 putat hoc iam decursū anni 1911ⁱ factum esse.

8 P. Callistus Hiemer natus est die 16 m. Oct. a. 1884 in loco Wiggensbach in dioecesi Augustana sito. Idem vota sua protulit die 21 m. Oct. a. 1906 in Abbatia Ottiliensi et die 20 m. Iul. a. 1910 sacerdotio auctus est. Die 6 m. Ian. a. 1911 in Coream emissus est, unde die 24 m. Ian. 1954 revertit. Obiit die 25 m. Ian. a. 1968 in Archiabbatia Ottiliensi. (Necrologium 2015, nr 0708, p. 74.)

9 Cfr Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 16 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien).

10 Cfr Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 16 (ASO, Chronikbriefe 6.Asien); Bonifaz SAUER: Korea. In: Missionsblätter 17, 1912/13, p. 254; Bonifaz SAUER: Die Handwerkerschule von St. Benedikt in Korea. In: Missionsblätter 18, 1913/14, pp. 36 sqq.

practice laboribus in opificinis exanclandis.¹¹ His laboribus praeerant Fratres laici, qui in singulis opificiis eruditi erant. Specialitas autem docentiae erat in eo, quod tirones omnia instrumenta operatoria ipsi manualiter conficere debebant. Huic modo duplex causa inerat. Nam sic futuri opifices Coreani semet ipsos adiuuare valuerunt, cum instrumenta emere non essent coacti, et praeterea Benedictinis, quibus quōque non nimia pecunia erat, non erat necessarium, ut machinas emerent. Hac instructione practicā cottidie septem octove horae consumeabantur.¹²



P. Callistus Hiemer.
[ASO, Archivum imaginum.]

Altera vero pars instructionis erat theoretica, quae ad labores cottidianos accessit. Sed haec institutio scholaris proprie dicta cottidie tantum per duas horas praebebatur. Extra institutionem autem in disciplinas theoreticas tempus imponere a discipulis non expectabatur. Disciplinae vero, quae docebantur erant religio Christiana, scriptura Sinica, linguae Coreana atque Iaponica, computatio, ars delineandi et in classe superiore insuper ratiocinatio negotialis.¹³ Tamen Benedictini non plures res theoreticas docere voluerunt, quam omnino necessariae erant, cum non ageretur de eruditione «academica», sed de opificibus praesertim practice agentibus.

Tota eruditio in schola opificum tres annos durabat, quibus transactis tirones examen quoddam superabant. Deinde novi opifices alios duos annos in opificinis suis manere potuerunt cooperando. Illo spatio temporis pro operibus suis mercedem acceperunt, ex quā pecuniā dimidia pars eis tradita est,

11 Praeter opificinas lignariam atque ferrariam, quae erant primae, decursū temporis etiam ex. gr. vestificina exorta est et tirones in horticulturā erudiebantur. - Bonifatius SAUER hōc in conexū etiam alia proposita plura habuit, quae tamen definitive non sunt ad effectum adducta. - *Cfr* Bonifaz SAUER: Handwerkerschule. *In*: Missionsblätter 18, 1913/14, p. 40.

12 Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 16 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien) septem horas indicat; Bonifaz SAUER: Korea. *In*: Missionsblätter 17, 1912/13, p. 254; Bonifaz SAUER: Handwerkerschule. *In*: Missionsblätter 18, 1913/14, p. 37 de octo horis scribit.

13 *Cfr* Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 16 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien); Bonifaz SAUER: Handwerkerschule. *In*: Missionsblätter 18, 1913/14, p. 37.

alterum dimidium retinebatur atque in fine tota summa collecta eis praebebat, ut opificinam propriam instruere et sui iuris esse possent.¹⁴

Schola opificum bonum effectum exserebat et etiam a regimine Iaponico magni aestimabatur,¹⁵ cum Iapones putarent huiusmodi eruditionem Coreanorum sibi coloniaeque esse utilem, aliter ac eorum eruditionem superiorem. Talis aestimatio Iaponica Benedictinis certe erat opportuna, quamquam - uti iam commemoratum est - iidem scholā opificum alios scopos habebant.

Aliter se praebuerunt condiciones, cum ageretur de schola magistrorum erudiendorum. Propter illud inceptum Benedictini praesertim in Coream vocati quidem erant, sed régime Iaponicum tale institutum ab extraneis ductum non iter libenter vidit. Generalis enim cogitatio missionariorum (etiam Francogallorum) constitit in eo, ut fundamentalis eruditio scholaris populi Coreani esset amplificanda et quam plurimis liberis aditus ad scholas esset praebendus. Optima via ad hunc scopum perpetrandum videbatur magistros futuros erudire, scientiā imbuere atque ad munus suum scholare praeparare. Praeterea ipsi magistri futuri erant Christiani catholicique et praevisum erat, ut imprimis in scholis catholicis institutiones praebituri essent. Sic etiam fides Christiana magis dissipari stabilirique atque condicio socialis Christianorum meliorari potuit. Etiam regimini Iaponicio erant quidem scholae elementariae eorumque magistri alicuius momenti, sed Iapones potius scholas statales voluerunt, quibus discipuli magis secundum ipsos scopos Iaponicos docerentur. Itaque ex his perceptionibus diversis primo difficultates quaedam exortae sunt, quod attinet ad Benedictinum institutum magistrorum.

Tamen illa problemata quadamtenus et saltem ad tempus amoveri poterunt.¹⁶ Eā de causā - quibusdam consiliis mutatis - Benedictinis contigit, ut die 15^o m. Sept. a. 1911^o scholam magistrorum officialiter aperirent, quam-

14 Cfr Bonifaz SAUER: Korea. In: Missionsblätter 17, 1912/13, p. 254; Bonifaz SAUER: Handwerkerschule. In: Missionsblätter 18, 1913/14, p. 36.

15 Cfr ex. gr. Chron. St. Benedikt, 18.12.1911; 13.5.1913 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien); Unsere Abtei in Korea vor dem Krieg. In: Missionsblätter 20, 1914/16, p. 41. - Sic etiam Frumentius RENNERT: Berufung nach Korea. In: Leuchter 2 (1992), p. 227; Johannes MAHR: Aufgebogene Häuser. 1. St. Ottilien 2009, p. 167.

16 Ad problema solvendum Abbas Norbertus Weber, qui illo tempore in primo itinere suo Coreano erat, multum attribuerat. De difficultatibus eisque aliquatenus superatis cfr supra cap. 4.6.1.2.

quam aedificium eidem destinatum nondum omnino confectum erat.¹⁷ Incohatum est hoc institutum, quod insimul oecotrophēum quōque erat, viginti quinque iuvenibus, qui inter quindecim et duodetriginta annos nati erant.¹⁸ Rector huius instituti redditus erat P. Andreas Eckardt,¹⁹ cui ipsi docenti adstiterant P. Cassianus Niebauer, tres magistri Coreani atque magister quidam Iapo.²⁰

Materiae autem docendae erant satis multiplices. Curriculum enim disciplinarum constitit in religione Christianā, historiā, ethicā, paedagogiā, scripturā

17 Cfr Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 17; Chron. St. Benedikt, 14.9.1911 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien); epistula Bonifatii Sauer die 27 m. Oct. a. 1928 data (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Frumentius RENNER: Berufung nach Korea. In: Leuchter 2 (²1992), p. 227; Godfrey SIEBER: Bonifaz Sauer. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 352; Beda DANZER: Die Benediktinerregel in Übersee. St. Ottilien 1929, p. 37; Ivo AUF DER MAUR: Koreanische Benediktinermönche. In: Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft 37, 1982, p. 85 adn. 29; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.) (1973), p. 83; Johannes MAHR (2009) 1, p. 165.

Ut Bonifatius SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 19 (ASO, Z.Chronikbriefe 6. Asien) commemorat, discipuli scholae magistrorum in ipsum aedificium novum transmigraverunt, quamvis intrinsecus idem nondum confectum esset.

18 Cfr Chron. St. Benedikt, 14.9.1911 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien); Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 17 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien); Relatio Bonifatii Sauer die 28 m. Oct. a. 1911 ad redactorem directa, p. 7 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b); Bonifaz SAUER: Aus Korea. In: Missionsblätter 16, 1911/12, p. 104; Frumentius RENNER: Berufung nach Korea. In: Leuchter 2 (²1992), p. 227; Johannes MAHR (2009) 1, p. 165.

19 P. Andreas Eckardt natus Monaci die 21 m. Sept. a. 1884 vota sua protulit die 21 m. Oct. a. 1906 in Abbatia Ottiliensi atque sacerdotio auctus est die 26 m. Iul. a. 1909. Hieme anni 1909 in Coream emissus est, ubi usque in annum 1928 cooperabatur. Deinde in Germaniam revertit ad studia continuanda et anno 1930 in studiorum universitate Herbipolensi in doctores promotus est dissertatione, cui titulus est «De re scholari in Corea» («Das Schulwesen in Korea»). Anno 1933 Ordinem Benedictinorum reliquit. Deinde in ethnologiam atque quaestiones linguísticas incumbens scientifice operabatur. Andreas Eckardt die 8 m. Ian. a. 1974 Ursariae* vitā functus est. (ASO, A.1.1.2 (PA Eckardt); Bibliographie der deutschsprachigen Benediktiner 1880-1980. Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige. Ergänzungsband 29-II. St. Ottilien 1987, p. 767).

*) Ursaria: *Starnberg*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: Bavaria Latina. Wiesbaden 1971, p. 236.

20 Cfr Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 19 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien); Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.) (1973), p. 83.

Sinicā atque litteraturā Sinicā, geographiā, grammaticā Coreanā, linguā Iaponicā, mathematicā, scientiis naturalibus, cantando, delineando, re athleticā.²¹ Provisum vero erat, ut totus cursus institutorius generaliter duos annos duraret.

Tamen iam in initio quaedam difficultates apparuerunt.²² Nam participibus cursūs praevia scientia satis differens erat, id quod praeter alia verisimiliter etiam cohaerebat cum variā aetate candidatorum.²³ Eā de causā iam satis brevi tempore post initium duo cursūs instructi sunt, quorum inferior tres quattuorve annos duraturus esse expectabatur. Aliter enim participes vix «*cum fructu ut magistros operari posse*» Bonifatius Sauer existimavit.²⁴ Institutiones autem non solum hanc ob causam aliquatenus difficiles se praebebant, sed etiam quia Patribus in initio adhuc difficultas erat, quā loquerentur linguā Coreanā, id quod in docendo certe obstaculo erat. Praeterea magistris Coreanis peritia paedagogica defuisse videtur.²⁵

Tota autem dispositio quoad scholas Benedictinas in Coreā interim sive in irritum cecidit sive difficilior reddita est, cum in initio primi belli mundani régimen Iaponicum speciatim ad instituta scholaria attendebat.²⁶ Praesertim institutum magistrorum statim claudendum erat. Hōc tamen non est mirandum, cum unā ex parte - uti iam commemoratum est - Iapones generaliter eruditionem magistrorum ab extraneis faciendam non desideraverint, alterā ex parte Germanos, quales Benedictini erant, tamquam hostes condicione belli vigentis magistros futuros erudire omnino noluerint. Sed etiam scholam opificum antea maxime aestimatam politici claudere voluerunt.²⁷ Tamen

21 Cfr Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a.) [1912], p. 17 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien); Bonifaz SAUER: Aus Korea. In: Missionsblätter 16, 1911/12, p. 109. Quod attinet ad disciplinam historicam, in «relatione brevi» Bonifatius Sauer scribit de historiā ecclesiasticā, in symbolā paginarum missionariorum de historiā mundanā.

22 Illa problemata singillatim iam enumeravit Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), pp. 17 sq. (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien).

23 Mirum itaque est Bonifatium SAUER: Aus Korea. In: Missionsblätter 16, 1911/12, p. 109 scribere participes bonam scientiam praevidiam habere.

24 Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 17 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien).

25 Cfr Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 18 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien).

26 Cfr etiam supra cap. 4.8.2.1.2.

27 Cfr Bonifaz SAUER: Unsere Abtei in Korea vor dem Kriege. In: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 131; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.) (1973), p. 84; Johannes MAHR (2009) 1, pp. 199 sq.

Abbati Bonifatio Sauer conventione cum episcopo Gustavo Mutel initā contigit, ut scholam opificum servaret. Nam Gustavus Mutel hanc scholam officialiter ut institutum Francogallicum suscipere assensus est, ita ut ipsi Benedictini labores suos continuare possent.²⁸

Primo bello mundano finito condiciones Benedictinorum in Coreā funditus mutatae sunt. Nam compluribus consultationibus praevis factis die 8^o m. Aug. a. 1920^o decreto Congregationis de Propaganda Fide institutus est Apostolicus Vicariatus Wonsan, qui Benedictinis Ottilianis ad opera missionaria exanclanda traditus est.²⁹ Sic tota dispositio operandi mutanda erat, cum tunc propriam et hanc quidam vere latam regionem missionariam haberent.

Perceptio missionaria Abbatis episcopique Bonifatii Sauer generaliter non erat alia ac illa reliquorum Superiorum Congregationis Ottiliensis, saltem quod attinebat ad methodum, quā fides Christiana dissipanda esset.³⁰ Itaque praeter alia accentum maioris momenti posuit in scholas varii generis. Nam Bonifatio Sauer persuasum erat institutione scholari liberos non solum eruditionem fundamentalem accipere, sed multos etiam ad fidem catholicam adduci posse et sic eos in futurum ad Christianitatem propagandam aliquid attributuros esse.³¹

Sic Vicariatū suscepto Benedictini satis celeriter scholas missionarias condere coeperunt.³² Agebatur autem imprimis de scholis elementariis. Initium factum est in oppido Wonsan, oppido principali regionis missionariae, secundum quod totus Vicariatus nomen suum accepit. P. Andreas Eckardt iam anno 1921^o illuc missus erat, ut stationem Wonsan curaret atque ibidem

28 Cfr Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. In: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 133; Johannes MAHR (2009) 1, pp. 199 sq. - Hunc modum progrediendi etiam administratio Iaponica accepit.

29 De hōc totō conexū cfr supra cap. 4.10.1.2.

30 Quod attinebat ad vera monasteria Abbatiasque in regione missionariā condenda, res aliter se habebat et eius opinio ex. gr. ab persuasione episcopi Thomae Spreiter differebat.


31 Cfr ex. gr. Bonifatii Sauer epistula die 2 m. Mart. a. 1924 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 418).

32 Cfr Kurze Geschichte der Mission Wonsan und der Abtei St. Benedikt, Tokwon, Corea (1953), p. 3 (Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b); Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.) (1973), pp. 99 sq.; Frumentius RENNER: Berufung nach Korea. In: Leuchter 2 (21992), p. 235; Johannes MAHR (2009) 1, pp. 321 sq.



*Vetus schola missionaria in oppido Wonsan.
[ASO, Archivum imaginum.]*

munere quoque parochi fungeretur. Cum ipso ibidem cooperabatur Fr. Paschalis Fangauer.³³



*Aedificium novum scholae missionariae in oppido Wonsan sitae.
[ASO, Archivum imaginum.]*

33 Fr. Paschalis Fangauer natus est die 8 m. Ian. a. 1882 in vico Egglfing in dioecesi Ratisbonensi sito. Vota sua protulit die 20 m. Oct. a. 1907 in Abbatia Ottiliensi et die 7 m. Nov. a. 1909 in Coream emissus est. Ibīdem obiit die 16 m. Apr. a. 1950 in carcere communistico Coreae Septentrionalis. (Necrologium 2015, nr 0477, p. 54.)

P. Andreas Eckardt secundum consilium episcopi in oppido Wonsan iuxta stationem statim scholam elementariam condidit, cui nomen inditum est, quod erat «Schola Stellae Maris».³⁴ Praepositus illius scholae erat quidem P. Andreas, sed munere magistri principalis atque ducis scholae functus est Christianus Coreanus Iosephus Oh.³⁵ Praeterea etiam alii magistri institutiones exhibebant.³⁶



*Classis scholae elementariae in loco Wonsan.
In recussu a sinistris magister Iosephus Chang
et a dextris magister superior Iosephus Oh.
[ASO, Archivum imaginum.]*

Illa autem schola in statione Wonsan et a pueris et a puellis frequentabatur. Effectus ab initio erat satis bonus, ita ut paulo post propter numerum discipulorum auctum novum aedificium scholare erigendum esset et schola quōque specialiter puellis destinata aedificaretur.³⁷

34 Īdem nomen postea pleraeque scholae missionariae Benedictinorum acceperunt.

35 Ille Iosephus Oh iam inde ex anno 1911^o cum monasterio Benedictino Seulensi coniunctus erat atque ibīdem linguam Coreanam docuerat.

36 Decursū autem temporis P. rem Andream Eckardt ut praepositum stationis Wonsam eiusque scholae sequebantur P. Chrysostomus Schmid, P. Lucius Roth et P. Fabianus Damm.

37 De bono progressū scholae stationis Wonsan etiam rettulit Iosephus OH: Unsere beiden katholischen Schulen in Wonsan. In: Missionsblätter 35, 1931, pp. 234 sqq.

socialis firmabatur. Speciatim commemorantur festa athletica, quibus discipuli discipulaeque certamina exhibebant atque scientiam suam ludendo monstrabant. Tali eventu non solum parentes discipulorum, sed etiam plurimi homines ex regione circumcirca sitā attrahebantur.³⁸

Etiamsi progressūs scholae missionariae stationis Wonsan erant vere bonae, nihilominus difficultates quōque exstabant. Haec problemata tamen non cohaerebant cum liberorum desiderio deficiente scholae frequentandae, sed e contrario. Nam in Corea illo tempore crisis oeconomica vigeat, quā de causā multi Coreani sine opere erant et egestate laborabant. Itaque multi pecuniam scholarem solvere non valebant. Nonnulli discipuli eā de causā quasi coacti scholam reliquerunt temporibus melioribus redituri. Sed quidam, qui pecuniariam contributionem debitam dare non valuerunt, nihilominus



*Schola missionaria puerorum Coreanorum in oppido Yenki sita.
[ASO, Archivum imaginum.]*

manserunt rem procrastinantes.³⁹ Cum autem Benedictinis scholae ipsis sustentandae essent neque auxilium pecuniarium ab re publicā acciperent, ex

38 De hac re *cfr* ex. gr. Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.) (1973), p. 100.

39 Hanc condicionem commemorat ex. gr. Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.) (1973), pp. 101 sq. - Etiam Joseph OH: Unsere beiden katholischen Schulen in Wonsan. In: Missionsblätter 35, 1931, pp. 235 sqq.

hac condicione missionariis quōque difficultates exoriebantur.⁴⁰

Circumcirca stationem Wonsan praeterea stationes exterae condebantur, in quibus quōque scholae instruebantur. Hoc systema,⁴¹ quō statio quaedam principalis fundebatur, cui schola erat, et inde stationes exterae dependentes cum scholis suis instituebantur toto in Vicariatū (etiam in eius regionibus Sinicis) erat in usū.⁴² Sic exempli gratiā etiam in regione Yenki, quae extra fines Coreae sita erat, et in eius ipso centro plures scholae elementariae erant.



*Missionaria schola puellerum Sinarum in oppido Yenki sita.
P. Theodorus Breher cum discipulabus.
[ASO, Archivum imaginum.]*

Cum illā in regione multi Coreani viverent, scilicet scholae et pro pueris et pro puellis Coreanis fundabantur. Sed specialiter etiam pro liberis Sinis - et

40 Res diutius non meliorabatur, etiamsi cives nonnullis in vicis, quo Benedictini ad scholas condendas vocati sunt, saltem areas ad domos exstruendas gratuito praebuerunt.

41 Est simile systema ac in Africā Orientali. Tamen propter alium cultum civilem condiciones non omnino comparari possunt.

42 *Cfr* ex. gr. Victorinus ZEILEIS: *Kurze Geschichte der Mission Tokwon* (s.a.), p. 1 (ASO, Z.1.Asien 2 a: Tokwon 1927-54); Willibald KUGELMANN: *Gründungsbericht*. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.) (1973), pp. 91 sqq.; Johannes MAHR (2009) 1, pp. 314 sqq.

pueris et puellis - scholae condebantur, quae quōque bene frequentabantur. Sed convertamur breviter ad aliud eruditionis inceptum maioris momenti, nempe ad Seminarium sacerdotale. Ut tale institutum conderent, Benedictinis



*Schola missionaria puerorum Sinorum in oppido Yenki sita.
[ASO, Archivum imaginum.]*

demum contigit Vicariatū suscepto.⁴³ Tamen tunc hac in re celeriter egerunt. Nam iam mense Februario a. 1921ⁱ conventus Seulensis tale Seminarium esse aperiendum constituit et Kalendis Novembribus a. 1921ⁱ institutum revera incohatum est.⁴⁴ Generaliter tale institutum divisum est in Seminarium minus, quo seminaristae iuniores modo gymnasiali ad vera studia praeparantur, et Seminarium maius, quo alumni in studia philosophiae et deinde theologiae incumbunt.

43 Iam in consultationibus inter Priorem P.rem Bonifatium Sauer et Abbatem Norbertum Weber anno 1911^o habitis sermo factus est de instituto, quo indigenae ad sacerdotium Ordinis erudirentur. Putaverunt autem iidem talem indigentiam mox exoriri. - *Cfr* Bonifaz SAUER: Kurzer Bericht (s.a. [1912]), p. 14 (ASO, Z.Chronikbriefe 6.Asien).

44 *Cfr* Romuald HEISS: Das Priesterseminar St. Willibrord im Apostolischen Vikariat Wonsan in Korea. *In*: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 270; Anselm ROMER: Unser Knabenseminar in Tokwon, Korea. *In*: Missionsblätter 33, 1929, p. 263; Rupert KLINGEIS: Aus unserem Tokwoner Priesterseminar. *In*: Missionsblätter 37, 1933, p. 177; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. *In*: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.) (1973), pp. 301 sq.

Seminarium ergo minus iam instructum est in Abbatiā Seulensi, antequam éadem in locum Tokwon translata est.⁴⁵ Praefectus huius Seminarii minus redditus est P. Anselmus Romer,⁴⁶ qui deinde hōc munere per viginti quinque annos functus est.



*Primi alumni Seminarii minoris Seulensis
cum magistris et Abbate Bonifatio Sauer.
[ASO, Archivum imaginum.]*


In initio pauci quidem candidati Seminario se adiunxerunt, quā de causā solum alterō quōque annō novus cursus incohatus est.⁴⁷ Scopus autem erat hōc institutō et sacerdotes saeculares et futuros Patres in Ordinem Benedictinum receptos erudire.⁴⁸

45 Seminario nomen Sancti Willibrordi inditum est.

46 P. Anselmus Romer natus est die 7 m. Dec. a. 1885 in vico Ingerkingen in dioecesi Rottenburgensi-Stutgardiensis sito. Vota sua protulit die 20 m. Oct. a. 1907 et sacerdotio auctus est die 3 m. Maii 1911. In Coream autem emissus est die 30 m. Oct. a. 1911. Ibīdem vitā functus est in carcere communistico Coreae Septentrionalis. (Necrologium 2015, nr 0508, p. 57.)

47 Anselm ROMER: Unser Knabenseminar in Tokwon, Korea. In: Missionsblätter 33, 1929, p. 264 numeros indicat illorum, qui primis annis recepti sunt, nempe anno 1921/22 duodeviginti seminaristae, anno 1923/24 undetriginta seminaristae, anno 1925/26 viginti quattuor seminaristae, anno 1927/28 triginta duo seminaristae. Idem autem statim etiam explicat non omnes receptos mansisse atque examina superavisse.

48 Romuald HEISS: Das Priesterseminar St. Willibrord. In: Lumen Caecis (1928), p. 279 scripsit officium principale huius Seminarii tamen constituisse in eo, ut pro monasterio atque missione Coreanā novitii et monachi Coreani erudirentur, quibus deinde communitas Coreana fieret, ita ut in fine Abbatia Coreana exoriretur.



*Alumni Seminarii minoris in Abbatia Tokwon siti.
In medio Abbas Bonifatius Sauer, a sinistris eius P. Anselmus Romer.
[ASO, Archivum imaginum.]*

Disciplinae, quae in Seminario minore docebantur, erant quadamtenus eadem ac in gymnasiis Europaeis, etiamsi scilicet scriptura Sinica atque lingua Iaponica accesserunt. Itaque docebantur religio Christiana, mathematica,



*Discipuli Seminarii minoris inter institutionem (Tokwon).
[ASO, Archivum imaginum.]*

geographia, physica, chemia, historia, ars delineandi, musica et insuper lingua quaedam extranea Europaea.⁴⁹ Specialiter vero lingua Latina - iuvenibus Coreanis propter aliam structuram atque scripturam ac linguae vernaculae materia inusitata - intensive erat discenda, quia variis ex causis eadem futuris sacerdotibus erat omnino necessaria.⁵⁰ Institutionem Latinam exhibuit ipse P. Anselmus Romer.⁵¹ Praeter alios Patres Benedictinos etiam duo Core-



*Institutio musica, quam exhibuit P. Ephraim Durach.
[ASO, Archivum imaginum.]*

49 De curriculo *cfr* Anselm ROMER: Unser Knabenseminar in Tokwon, Korea. *In*: *Missionsblätter* 33, 1929, p. 265; Romuald HEISS: Das Priesterseminar St. Willibrord. *In*: *Lumen Caecis* (1928), p. 271.

50 Ut Romuald HEISS: Das Priesterseminar St. Willibrord. *In*: *Lumen Caecis* (1928), p. 272 explicuit, lingua Latina non solum magnum momentum scilicet in liturgia habuit, sed etiam percipiebatur ut lingua communicationis inter sacerdotes, id est iidem Latine loqui discere debebant, et erat sermo docendi in philosophia atque theologia.

51 Propter huius institutionis scopos paulo alios ac in gymnasiis humanisticis Europaeis praeponderantia non erat in Latinis auctoribus classicis sic dictis (etiamsi Cicero quoque legebatur), sed imprimis in patribus ecclesiasticis (speciatim Augustino) et in Sacra Scriptura. - *Cfr* Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. *In*: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.) (1973), p. 106.

ani laici munere magistrorum fungebantur, cum ageretur de disciplinis «saecularibus», quae dicuntur. Sed sicuti in Ottiliano Seminario domestico studiis etiam inserta sunt opera manualia, exercitationes musicae atque interdum excursiones quaedam.



*Seminaristarum excursio Maialis anni 1931ⁱ.
[ASO, Archivum imaginum.]*

Dispositio autem totius eruditionis erat haec: primo exhibebatur cursus praeparatorius duorum annorum, quo scientia adhuc manca scholae elementariae compensaretur, deinde sex anni in ipso cursu Seminarii minoris. Sequebatur deinde eruditio in Seminario maiore, quae constabat ex philosophiae cursu duorum annorum et ex theologiae cursu quattuor annorum.⁵² Erant in summa quattuordecim anni. Videntur vero nonnulli interrogavisse, cur tam longum spatium temporis ad sacerdotes erudiendos necessarium esset.⁵³ Argumentum autem omnino intellegibile ad spatium temporis ex-

52 De dispositione *cfr* Anselm ROMER: Unser Knabenseminar in Tokwon, Korea. *In*: Missionsblätter 33, 1929, p. 265; Romulad HEISS: Das Priesterseminar St. Willibrord. *In*: Lumen Caecis (1928), pp. 271 sq.

53 Mira tamen videtur talis quaestio, cum res comparetur cum condicionibus in Germania illo tempore vigentibus. Cum enim tempus gymnasiale et studia sive in Seminario sacerdotali sive in studiorum universitate computemus, in summa etiam sunt quattuordecim sive

plicandum erat in eo, quod necessarium erat, ut sacerdotes profundam eruditionem atque scientiam amplam acciperent, ut iidem aequirerarentur concivibus suis eruditis atque fidem catholicam scite defendere valerent. Praeterea effectus in strata socialia superiora doctaque exserendus non erat neglegendus.⁵⁴

Cum monachi Benedictini mense Novembri a. 1927ⁱ definitive in novam Abbatiam in loco Tokwon sitam transmigrarent, seminaristae eos statim comitati sunt. Nam eodem tempore, quo ibidem novum monasterium erigebatur, etiam aedificium Seminarii exstructum est. Sub eodem tecto Semi-



*Alumni cursūs 1925/26 in loco Tokwon recepti.
[ASO, Archivum imaginum.]*

narium minus et Seminarium maius congregabantur. Tamen Seminarium maius denique anno 1929^o incohatum est, cum tunc demum primi alumni Seminarii minoris cursūs suos absolvissent, ut Seminarium maius intrare possent. Illo anno P. Chrysostomus Schmid institutiones philosophiae praeberere coepit, quem iam anno 1930^o P. Ephraim Durach secutus est.⁵⁵

quidecim anni (si novem anni gymnasii numerantur). Ergo nihil aliud ac in Corea.

54 *Cfr* Rupert KLINGEIS: Unser Tokwoner Priesterseminar. In: Missionsblätter 37, 1933, pp. 180 sq.

55 P. Chrysostomus Schmid anno 1930^o in Archiabbatiam Ottiliensem ut Abbas Coadiutor revertit. - De hac re *cfr* infra cap. 4.15.2.



*Seminarii maioris studentes philosophiae atque theologiae.
In loco Tokwon recepti unā cum Abbate Bonifatio Sauer et P.re Anselmo Romer.
[ASO, Archivum imaginum.]*

Benedictinae res scholares ergo in Coreā efficaciter progrediebantur. Imprimis maximus impulsus animadvertabatur, cum Benedictini propriam regionem missionariam acciperent. Nam tantum hunc in modum eorum methodus missionaria, quae unum ex fundamentis suis in scholis habuit, vere fructūs suos exserere potuit.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 215, 2019, pp. 11-31]